



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Die XV. Novembris. In Festo S. Gertrudis Virginis & Abbatissae

[S.l.], [ca. 1770]

In I. Nocturno. Lect. de Scriptura occurrente. In II. Nocturno.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62880)

Die XV. Novembris.
IN FESTO S. GERTRUDIS
VIRGINIS & ABBATISSÆ.

Duplex.

*Omnia de communi Virginum præter seq.
Oratio.*

DEUS, qui in corde beatæ Gertrudis
Virginis jucundam tibi mansionem
præparasti; ipsius meritis & intercessione
cordis nostri maculas clementer absterge,
& ejusdem tribue gaudere consortio. Per
Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Gertrudis Islebii in Saxoniâ nobili gene-
re nata, quinquennis in Monasterio Ro-
dardensi, Ordinis Sancti Benedicti, virgini-
tatem suam, ac se ipsam JESU Christo
obtulit. Quo ex tempore à mundanis re-
bus prorsus aliena, virtutique sedulò inten-
ta, cœlestis vitæ genus instituit. Ad huma-
norum Litterarum notitiam rerum divi-
narum cognitionem adjunxit. Quarum
meditatione vehementiùs ad virtutem in-
censa, brevì Christianam perfectionem a-
depta est. De Christo, ejusque vitæ mysteriis
sæpenumerò pio cum animi sensu loque-
batur:

⋈

batur:

batur: unamque Dei gloriam cogitans, ad illam vota sua omnia, & actiones referebat. Quamvis autem multis eximiis naturæ & gratiæ donis à Deo aucta esset, ita tamen sibi ipsa vilescibat, ut inter præcipua divinæ bonitatis miracula hoc item memoraret, quòd se indignissimam misericorditer sustineret. *R.* Propter veritatem.

Lectio V.

Trigesimum ætatis annum agens, primum Rodardensis Monasterii, ubi religiosam vitam est professa, deinde Elpediani præses electa, quadraginta annorum spatio, ea charitate, prudentia, & regularis disciplinæ studio munus obivit, ut Cœnobium religiosæ perfectionis domicilium videretur. Utrobique verò, licet esset omnium Mater & Magistra, omnium tamen minima haberi volebat, ac demissione pari ministram se exhibebat. Quòd liberiùs Deo vacaret, vigiliis, abstinentia, aliisque cruciatibus corpus afflixit; semperque sui similis, morum innocentiam, mansuetudinem, ac patientiam prætulit singularem. Proximorum saluti omni ope studuit, piæque curæ copiosum fructum retulit. Divini amoris vi frequentes patiebatur ecstases: altissimæque contemplationis, & divinæ unionis donum obtinuit. *R.* Dilexisti.

Lectio

Lectio VI.

Ut meritum acceptissimæ sibi Sponsæ Christus ostenderet, in corde Gertrudis jucundam sibi esse mansionem testatus est. Deiparam Virginem veluti Matrem, ac Curatricem à Jesu acceptam pietate præcipuâ prosequabatur; ab eaque multa accepit beneficia. Erga divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, & Passionem Domini tanto amore cum grati animi sensu afficiebatur, ut interdum uberioribus lacrymis perfunderetur. Justorum animas piacularibus flammis addictas quotidianis subsidiis, & precibus juvabat. Multa ad confovendam pietatem scripsit. Divinarum etiam revelationum, ac prophetiæ dono claruit. Denique flagrantissimo Dei amore potiùs, quàm morbo languescens, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo vitâ decessit. Miraculis vivens, & post mortem à Deo illustrata est.

⁊. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Honil. S. Gregorii Papæ in Evang. Simile erit regnum cælorum decem virginibus. de communi Virginum. Missa: Dilexisti.

